



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

LIV. Markgraf Hermann verordnet, daß adliche Einwohner Salzwedels
gleich den übrigen die bürgerlichen Lasten zu tragen haben, am 6. Mai
1301.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54909)

LIII. Erzbischof Adenulphus und andere ertheilen dem heil. Geist-Hospital vor Salzwedel einen Ablass, am 30. September 1300.

Uniuersis Christi fidelibus presentes literas inspecturis Nos miseratione diuina Adenulphus, archiepiscopus Coufanus et Laudo Nolanus, frater Anthonius Chenadiensis, Nicolaus Tridentinus salutem in Domino sempiternam. Splendor paterne glorie, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementissima ipsius maiestate sperantium tunc precipue benigno fauore prosequitur, cum deuota ipsorum humilitas sanctorum precibus et meritis adiuuatur. Cupientes igitur, ut hospitale sancti Spiritus extra muros Soltwedele ordinis sancti Augustini Verdenfis dyoc. congruis honoribus frequentetur et a Christi fidelibus iugiter veneretur, Omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad ipsum hospitale in festiuitatibus ipsius sancti Spiritus nec non Natiuitatis, Resurrectionis, Ascensionis et Pentecostes Domini nostri Jhesu Christi ac eciam Natiuitatis, purificationis, Annunciacionis et assumptionis beate virginis ac in dedicacione hospitalis eiusdem sanctorumque Augustini, Andree, Iohannis baptiste et Euangeliste, beatorum Nicolai, Christofori et Cyriaci et beatarum Katherine, lucie et Marie Magdalene, quorum altaria inibi dedicata existunt, deuocionis et oracionis causa acceperint annuatim, Aut qui ad fabricam, reparaamenta, luminaria et ornamenta ipsius hospitalis ac alia caritatis subsidia manus porrexerint adiutrices, Et ad eius cimiterium accedentes oracionem dominicam dixerint pro animabus defunctorum sepultorum ibidem, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius meritis et auctoritate confisi, singuli singulas dierum quadragenas de iniunctis sibi penitentis misericorditer in domino relaxamus, dummodo diocesani voluntas ad id acceperit et consensus. In cuius rei testimonium presentes literas sigillorum nostrorum fecimus appensione muniri. Datum Anagnie, Anno Domini Millesimo CCC., Indictione XIII, die XXX Septembris, pontificatus Domini Bonifacii pape octaui Anno sexto.

Danneil's Kirchengeschichte der Stadt Salzwedel S. 7.

LIV. Markgraf Hermann verordnet, daß adliche Einwohner Salzwedels gleich den übrigen die bürgerlichen Lasten zu tragen haben, am 6. Mai 1301.

In nomine Domini Amen. Nos Hermannus, dei gratia marchio Brandenburgensis et Dominus de Hinneberge, Notum facimus uniuersis presens scriptum uisuris et auditoris, quod maturo nostrorum uasallorum consilio statuimus firmiter obseruandum, ut omnis miles seu armiger siue eciam uidua militaris, qui in ciuitate nostra Saltwedele mansionem habere decreuerit, uigilias et exactionem, schot dictam, faciet et dabit pro hereditate sua et aliis bonis, que in ciuitate habuerit, eque aliis nostris burgenfis in ciuitate habentibus mansionem, excepta tamen curia ante castrum, que est Bodonis de Knesbeke, Curia apud fratres, que fuerat Domini Wernerii retro turrim, Curia, que fuerat Domine Conegundis de Knesbeke, Curia Domini Wernerii de Sculenborch excepto, quod ademptum est, et Curia Domini Sifridi de Wallstave excepto, quod ademptum est. Hujus nostri rationabilis facti testes sunt nobilis Henricus Comes de Luchowe,

Droifeke, Dapifer noster; Gunterus, Mariscalcus noster Gevehardus de Alvensleve et Borchardus de Bertensleve, noster ibidem Advocatus. Quod presentibus nostro sigillo insignitis evidenter duximus protestandum. Actum et Datum Saltwedele, per manum Rodolfi de Embeke, notarii nostri, Anno Incarnationis Domini M^o. CCC^o. I^o. in die beati Johannis ante portam latinam.

Nach dem Originale des Salz. Archives V, 2.

LV. Markgraf Hermann schenkt dem heil. Geist-Kloster zu Saltwedel das Eigenthum von 2½ Hufen, welche Werner und Siegfried von der Schulenburg zu Lehn getragen, am 30. Mai 1302.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Hermannus, Dei gratia Marchio Brandenburgensis, universis Christi fidelibus, ad quos presens scriptum pervenerit, in perpetuum. Ne ea, que geruntur in tempore, simul cum tempore dilabantur, aut ex morte hominum a memoria diuturnitate temporum evanescant, expedit ipsa literarum memorie commendari. Inde est, quod notum esse cupimus tam presentis quam futuri temporis Christi fidelibus universis, quod nos ob spem mercedis eterne ecclesie sancti spiritus extra muros Soltwedel, donavimus proprietatem duorum mansorum et dimidii cum suis attinentiis, que bona Wernerus et Sifridus, fratres, dicti de Schulenborch, milites, in pbeodo hactenus a nobis tenuerunt, de consensu et voluntate dictorum militum heredumque suorum iusto proprietatis titulo perpetuo possidendam. Ne igitur super hoc facto nostro dicte ecclesie in posterum calumpnia aut impedimenti materia valeat suboriri, presentem paginam cum testibus inferius annotatis, et sigilli nostri appensione fecimus communiri. Testes hujus donationis sunt Ludovicus de Wantsleve, Borchardus de Bertensleve, Advocatus in Soltwedel, Hinricus et Fredericus, fratres, dicti de Alvensleve, Droyseke, dapifer noster, et alii quam plures fide digni. Datum Arnborch, Anno Domini M^o. CCC^o. II^o., tertio Kalend. Junii.

Transumpt v. S. 1448, Churm. Lehnb. XXI, 167.

LVI. Friedrich, Bischof von Verden, bestätigt dem heil. Geist-Hospital das Kirchenpatronat zu Altmersleben, am 16. September 1303.

In nomine domini Amen. Fredericus, dei gratia Verdenfis ecclesie Episcopus, universis — Cum quondam dominus Conradus predecessor noster felicitis memorie cum consensu et ratihabitione venerabilium virorum Decani et Capituli ecclesie nostre donationem juris patronatus ecclesie Altmersleve, a quondam Otthone, Marchione de Brandeborch longo, principe inclito clare memorie, pro remedio anime sue — preposito et conventui Hospitalis S. Spiritus extra muros Soltwedel ordinis B. Augustini factam confirmaverit —; Nos qui sanctam religionem